



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Mvndvs Et Mvndi Partes, Divinæ Bonitatis Ac Ivstitiæ
Præcones**

Stengel, Georg

Ingolstadt, 1645

§. 9. Et nimium, & nullum ventum nocere posse.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52365](#)

torum dicas. Sisti enim, & excitari, si Deus
permittat, etiam dæmonū arte, ventos, non
solum utres Vlyssi, alijsque dati, & nodi su-
dariolorum vincti, vel soluti, ac ventū in si-
lentia ligantes, vel in maria emittentes, ven-
diti, sed ipsæ etiā diuinæ litteræ docent; in
Iob. i. 19. quibus ad Iob dicitur: *ventus vehemens ir-
ruit à regione deserti, & concusit quatuor an-
gulos domus, quæ corruens opprimit liberos tuos,
& mortuis sunt. Quæ, mali genij suggestione
& opere, facta sunt; non tamen antè, quam
Deus illi diceret; Ecce uniuersa, quæ habet, in
manu tua sunt.* E quibus, instruimur, ventos
& tempestates cieri quidē à malignis spiri-
tibus, qui ministri sunt pariter & rerum ad-
uersarum procuratores; non posse autē cie-
ri, nisi potestate concessa ab eo, cui summa
imperium est in ventos, & omnem creatu-
ram. Permittit autem eam potestatem, vel
ad castigandos homines; vel ad probandos;
vel, si peruicaces sunt, ut impleant numerū
ac mensuram peccatorū. Perinde autem est,
seu immittantur, hac arte, venti, seu inhi-
beantur; utroq; modo nocere possunt: cùm
sit & procella, & malacia nautigantibus pe-
riculosa. §. IX.

*Et nimium, & nullum ventum nocere
posse;*

N.

Rob. An.
1135.

Nimirum verè aurea est medioeritas; & in
 omni re, nimis multū, & nimis parum est per-
 niciosum. Hinc Anno 1135. nimius ven-
 tus multas turres atque ædificia subuertit.
 Sed & subtractio venti est exitiosa. Quo pa-
 cto Eunapius tradit, vrbe Constantinopolitana
 in magnam rei frumentarię difficulta-
 tē adductā, naues in diuersas dimissas fuisse
 partes, quæ frumentum deueherent. Hæ,
 cùm onustæ redijssent, appelli ad littus, de-
 ficientibus ventis, nulla vi potuerunt. Quo
 cognito, populus vndiq; ad theatrum, sœua
 famis stimulatus rabie, conuolauit. Tum
 Constantini M. ea de re animi anxium, &
 tempestatis aduersæ rationē exigentem, æ-
 muli, Sopatri Apamensis Syri sophistæ (qui
 propter insignem sapientiam, in aula Con-
 stantini ad inuidiam eminere conspicieba-
 tur) in primisque Ablauius præfectus præ-
 torio adierunt, atq; ita eū affati sunt: *Quod
 ventos votis refragari tuis vides, id scito Sopa-
 tri, quem tu tantis honoribus extulisti, peregri-
 nā & perniciosa nobis sapientia fieri: is enim
 qui Lunam potest de cælo deducere, eadem arte
 sua, ventos devinxit; & quò minus nauibus
 aspirent, arcanis quibus dā verbis inhibuit. Quā
 re auditā, ille offensus, Sopatrum properè*

G 5

com-

comprehendi, duci, ac securi percuti jussit.
Adeò Magicæ artes exosæ & detestabiles e-
rant Constantino, vt eas, siue per calumni-
am fictas, siue veras, ne in charissimo quidē,
atque doctissimo viro , vellet tolerare.

§. X.

*Tempestatum potentes fœmina punitæ, &
punienda.*

Spräger. Nec nostra ætas tolerat, apud eos, qui &
lib. quin. justitiæ sunt amantes, & sciunt, se damno-
que In-
quisitorū, rum, per veneficos, & veneficia illatorum,
vel judices, vel participes esse oportere. Nar-
rat Sprangerus, Año 1488. in Constantien-
si diœcesi, et si coloni sedulò fecissent, tamé
ventos , procellas , grandines , fulmina , &
tempestates malas extitisse, quæ fruges om-
nes in agris, quatuor milliarium spacio, per-
diderint. Inspexit querelam magistratus.
Megæræ comprehensæ sunt duæ , Anna de
Miñdelé, & Agne; eç seorsim confessæ sunt,
se, vno die , in agrum , cum pauxillâ aquâ ,
processisse : & , quamuis vna consiliū nō scie-
ret alterius, effodisse scrobem, atq; sub me-
ridiem, aquam scrobi infusam conturbasse,
adhibitis coniurationū formulis , & magi-
cis procurationibus: quibus absolutis, simul
ac domum reuertissent, procellam extitisse.

Eant